PALAEMON

Non nostrum inter vos tantas componere lites:
et vitula tu dignus et hic et quisquis amores
aut metuet dulcis, aut experietur amaros.
Claudite iam rivos, pueri: sat prata biberunt.

IV.

Sicelides Musae, paulo maiora canamus!
Non omnis arbusta iuvant humilesque myricae;
si canimus silvas, silvae sint consule dignae.
Ultima Cymaei venit iam carminis aetas,
magnus ab integro saeclorum nascitur ordo;
iam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna,
iam nova progenies caelo demittitur alto.
Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
desinet ac toto surget gens aurea mundo,
casta fave Lucina; tuus iam regnat Apollo.
Teque adeo decus hoc aevi, te consule, inibit,
Pollio, et incipient magni procedere menses;
te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
inrita perpetua solvent formidine terras.
Ille deum vitam accipiet, divisque videbit

---

108 «non: *hic distinguendum, ut sit sensus: officium iudicis est ferre sententiam, non eorum qui inter se contendunt» Serv.* nostrum est *Tib. Aen. 4, 305* conponere γ 110 aut... aut *codd., Serv.*: haud... haud *cum Graser Hirtzel*; hau temnet dulcis, haut *Ribbeck*; haud... aut *Wagner, alii alia* dulces γ, dulcis *nomin. interpr. Madvig* amores **γr**, *corr.* γ^1; amaros / aut metuet, dulces aut experietur amores *Peerlkamp et Postgate, 'PCPhA', 1883, 2,* amores / ... dulcis, aut expedietur amaris *Karsten, 'Mnemosyne', 19, 1891, 375*

IV 1-51 γR. — SAECULI NOVI INTERPRAETATIO **γR** 1 Poet *in mg.* γ, Poe **R** 2 omnes **R** 3 *hunc versum secundis curis additum iudicavit Sabbadini* canibus **Ra** 4 cymaei **γn**, *Aug. c. d. X, 27, Ansil. CI 146, ps. Probus, Philarg., Serv.*: cumei **R**, cumaei **ω**, *Isid. 8, 8, 5, Ribbeck* 5 nascitur **R** 6 saturia γ, *corr.* γ^1 7 demittitur **γcenr**: dimittitur **Rω**, promittitur *Fulg. 103 (161)* 9 desinit **b** surgit **b** *vv. 11-14 et B. 8, 6-13 post v. 59 transt. Herrmann, 'Latomus', I, 1937, 157-164* 12 Pollio] orbis *Schaper* 14 formine **R**, *corr.* $\mathbf{R}^6$ irrita γ^1

permixtos heroas et ipse videbitur illis,
pacatumque reget patriis virtutibus orbem.
  At tibi prima, puer, nullo munuscula cultu
errantis hederas passim cum baccare tellus
mixtaque ridenti colocasia fundet acantho; 20
ipsa tibi blandos fundet cunabula flores. 23
Ipsae lacte domum referent distenta capellae 21
ubera, nec magnos metuent armenta leones; 22
occidet et serpens, et fallax herba veneni 24
occidet; Assyrium volgo nascetur amomum. 25
At simul heroum laudes et facta parentis
iam legere et quae sit poteris cognoscere virtus,
molli paulatim flavescet campus arista
incultisque rubens pendebit sentibus uva
et durae quercus sudabunt roscida mella.
Pauca tamen suberunt priscae vestigia fraudis,
quae temptare Thetin ratibus, quae cingere muris
oppida, quae iubeant telluri infindere sulcos.
Alter erit tum Tiphys et altera quae vehat Argo
delectos heroas; erunt etiam altera bella

---

16 haeroas γ   17 patris **R**, *corr.* **R**^{2} 18 ac **Ran**, *Güthling*   nulla puer primo **Ra?**   19 herrantis γ   bacchare γ   20 fundit γ (*corr.* γ^1), *Macrob. 6, 6, 18*   23 *ante v. 21 colloc. Klouček, Mountford et Campbell, 'CR', 1938, 54-56, Snell, 'Hermes', 73, 1938, 239 s., Duckworth, 'TAPhA', LXXXIX, 1958, 1-8*: *post v. 22 codd., Eus. 20 (183, 17), edd.*; *cf. Jachmann, 'ASNP', XXI, 1952, 16 ss.*   fundet *Campbell, Duckworth* (*cl. v. 18* munuscula *et vv. 24-25* occidet, occidet): fundent *codd., Non. 312, 40, Philarg., edd.*, fundunt **c**   21 referant γ, *corr.* γ^1 24 veneni] *cf. Housmann, 'CR', XIV, 1900, 257-259*   25 assirium γ, *corr.* γ^1 vulgo γ   26 at γω, *Non. 331, 34*: ac **Ran**, ad **c**   parentis γω, *Non., Eus. 20 (184, 20), RLM 598, 14, Philarg., Serv.*: parentum γ^1**Ra**, *sed pluralis numerus accommodatus videtur ad id quod praecedit,* 'heroum'; 'parentum *Vergilius scripsit cum nascens puer caelo descendebat, nullo certo parente; deinde cum eum Pollione ortum fecisset, correxit* parentis' *Sabbadini*   28 flavescet γ^1ω *Lact. inst. VII, 24(?) schol. Bern.*: flavescit γ**Rabf**   29 sensibus **n**   30 edurae *Voss*   udabunt γ, *corr.* γ^1 31 vestia **Ra**, *corr.* **R**^{5} frusdis **Ra**   32 tetim γ, thetim γ^1 33 tellurem infindere sulco **Ra**; *cf. Aen. 5, 142*   34 thyphis γ, thyphus γ^1 35 dilectos **b**

atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.
Hinc, ubi iam firmata virum te fècerit aetas,
cedet et ipse mari vector, nec nautica pinus
mutabit merces, omnis feret omnia tellus:
non rastros patietur humus, non vinea falcem,
robustus quoque iam tauris iuga solvet arator.
Nec varios discet mentiri lana colores,
ipse sed in pratis aries iam suave rubenti
murice, iam croceo mutabit vellera luto;
sponte sua sandyx pascentis vestiet agnos.
« Talia saecla » suis dixerunt « currite » fusis
concordes stabili fatorum numine Parcae.
Adgredere o magnos (aderit iam tempus) honores,
cara deum suboles, magnum Iovis incrementum!
Aspice convexo nutantem pondere mundum,
terrasque tractusque maris caelumque profundum;
aspice, venturo laetentur ut omnia saeclo!
O mihi tum longae maneat pars ultima vitae,
spiritus et quantum sat erit tua dicere facta!
Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,
nec Linus; huic mater quamvis atque huic pater adsit,
Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo.

---

36 adque **R** 41 robustis *recc.* 43 set γ artes γ, *corr.* γ^1 44 fucabit *Schrader* 45 pascentis] nascentes *Bentley*; *cf. Flobert, 'RPh', XXXVIII, 1964, 228-241* 46 talia saecla] *cf. Walters, 'CR', VIII, 1894, 251* dyscerunt γ currere *recc.* 47 stabili fatorum numine *Parcis attribuit Corrsen, 'PhW', XXXIV, 1914, 160 s.* 48 magnus **Ra** iam *om.* **R**, *add.* **R**^{2} 49 soboles γ, *corr.* γ^1 50 conucxo *in* convexo *corr.* γ^1 mundom γ, *corr.* γ^1

IV 52-63 PR. — 52 laetantur **Ran**, *post Wagner recepit Sabbadini* omnisa *in* omnia *corr.* **P**^{2} 53 tam *Porph. Hor. c. 4, 2, 45* longae **R**ω, *Serv.*: longe **Pn**γ, *Porph.* 54 sat erit quondam *Prisc. XV, 28* 55 vincet **P**^{2}**R**$\omega\gamma$, *Mynors*: vincat **P**γ^1, *Serv., post Ribbeck recepit Sabbadini* teracius **P** (*corr.* **P**^{2}), Thraecius *Sabbadini* 56 adque **P** *alt.* huic] fuit **Ra** adsit *ex* adste **P**^{2} 57 orphi **Racn**γ^1, *Macrob. 5, 17, 19, Prisc. VII, 8 et 14, Sabbadini; cf. Georg. 4, 545 et 553, Aen. 5, 184 et 10, 129* caliopea **P** (*corr.* **P**^{2}), *Ribbeck* formosus **P**^{2}: formonsus **PR**

Pan etiam, Arcadia mecum si iudice certet,
Pan etiam Arcadia dicat se iudice victum.
Incipe, parve puer, risu cognoscere matrem:
matri longa decem tulerunt fastidia menses.
Incipe, parve puer: quoi non risere parentes,
nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubilist.

V.

MENALCAS. MOPSUS.

MENALCAS

Cur non, Mopse, boni quoniam convenimus ambo,
tu calamos inflare levis, ego dicere versus,

---

58 *vers. om.* **c** etiam] deus *Don. Ter. hec. 255, Bentley* arcadiedicacat **P**, arcadia mecum *corr.* **P**^{2} 59 *v. om.* γ, *add.* γ^{1} arcadiae **Ra** arcadiedicacat siludicevictam **P**, arcadia dicet se iudice victum **P**^{2} dicet **P**^{2}, *Macrob. 5, 14, 6, Castiglioni.* *vv. 60-63 ante v. 25 transtulit Kukula, ante v. 18 Hermann, 'MB', XXXII, 1928, 25-31* 60 mater **P**, *corr.* **P**^{2} 61 matri **PR**ωγ^{1}, *schol. Bemb. Ter. adelph. 475, Don. Ter. eun. 20, Probus 259, 8, schol. Stat. Theb. 1, 576*: matris **P**^{2}γ, matres *Phillimore, 'CR', XXX, 1916, 146-152* decim **R** tulerum **P** (*corr.* **P**^{2}), tulerant **den**, tulerint *recc., Kinzler, 'CQ', LXIV, 1968, 130 s.* (*sed* tulerunt *Baldwin et Huxley, 'CQ', LXIV, 1969, 280*), tolerant *Phillimore*; « *alii* abstulerint *legunt* » *Serv.* 62 cui (quoi *recc., Sabbadini, 'BFC', XXXII, 1926, 272-273, 'Historia', IV, 1930, 543-544 et VIII, 1938, 531-532, Ernout, 'RPh', XLIV, 1970, 276, Maguinnes, 'CR', LXXXV, 1971, 198*) non risere parentes *codd., Eus. 21 (187, 8), Serv., codd. Quintil. 9, 3, 8, Ribbeck, Echave-Sustaeta, 'Helmantica', IV, 1953, 91-98*: qui non risere parenti *Schrader, Bonnel ad Quintil. 9, 3, 8, Postgate, 'CR', XVI, 1902, 36-37, Norden, Die Geburt des Kindes, Lipsiae 1924, 62 adn. 2, Steuart, 'CR', XL, 1926, 156, Stuart, 'CPh', XVII, 1921, 209-230, Stégen, 'Latomus', XXX, 1971, 170, Mynors,* qui non risere parentes *Politianus misc. 1, 89 (ad Quintil. 9, 3, 8) et Scaliger (cf. Phillimore, 'CR', XXXI, 1917, 23-24, Birt, 'BPhW', XXXVIII, 1918, 186-192, Sabbadini, 'RFIC', LIII, 1925, 242-243)*; qui risit sera parenti *Campbell, 'PCPhS', 1948-9, 5*; risere *disting. Nauck* 63 hunc] hos *Schrader*, hinc *Postgate* dia **P**, *corr.* **P**^{2} cubilest **R**, cubili est **P**, cubile est **P**^{2}

V 1-16 PR. — Menalcas Mopsus **PR** 2 leves **R**